

cæ normam cogitationes instituire volumus. Hic obicere aliquis possit ex Domini Timpleri Logicis, quòd thema non sit instrumentum Logicum, sed duntaxat res intelligibilis, de quâ disertatio cognitionis gratiâ instituitur, prout ille definit thema *lib. 1. Logic. cap. 2.* Huic objectioni sic occurrendum esse censeo. Thema est vox Græca, significans omne id, quod ponitur, seu proponitur, unde & Latinis propositio dicitur. Ab hâc generali significatione per Synecdochen ûsitatissimam transfertur ad specialem, ut sumatur pro omni eo, quod ad disserendum proponitur. Et hoc modo rursus est vox vel primæ, vel secundæ notionis. Primæ, quatenus determinata materia ad disserendum proponitur, puta thema physicum, theologicum, medicum. Secundæ, quatenus thema in genere consideratur, non restrictum ad hanc vel illam materiam. Et hoc modo est instrumentum Logicum, quod sic probatur. Thema & argumentum esse relata, principium est Logicum. Patet id è definitione thematis vulgatâ, quâ thema definitur instrumentum inveniendi, quod ab argumento arguitur. *Beurhusius in præf. acad. Logic. part. 3.* quam definitionem probant omnes Logici, neque à nostrâ modò allatâ discrepat, si probè trutinæ utramque. Si ergo thema & argumentum sunt relata, & quidem secundum esse, consequitur, esse notionem secundam. Neque enim video, quomodo possit perfecta relatio intercedere inter notionem primam & secundam. Atque ita soluta est quæstio secunda. Superest tertium quæsitum, quotuplex sit materia disertationis? Duplex illa est uno verbo. Aut enim est *materia de quâ disserendum est*, seu *quæ* ad disserendum proponitur, seu *circa quam* versatur disserens: aut est *materia ex quâ disseritur*, seu quâ explicatur & demonstratur materia circa quam. Illa est thema, quod aliàs dicitur propositio, *scilicet, status*, propositum, objectum tractabile: hæc est argumentum. Illam per melicet dicas *principium* disertationis **Q U O D**; hanc, *principium* **Q U O**.

Materia dis-
ertationis
duplex est.

Thematis occurrunt communes affectiones,
& species.

Commu-